

scientiæ elementi, istam scientiam tradiderunt: & ad litteram non intelligentes operantur ex sanguine, capillis, ouis, & vrina, nec non multis alijs, & ex illis primò extraxerunt quatuor elementa, vt cum eis opus perficerent, separando primò per distillationem ex prædictis aquam claram: deinde oleum in superficie citrinum, quod dicunt ignem & aërem continere, & terra nigra in fundo remanet. Postmodum cum aqua terram abluunt & dealbant imbibendo ipsam: & decoquendo aquam illam toties, donec terra dealbetur.

Deinde reducunt oleum illud ad ignem paratum distillando, quousque dicta terra totum bibat, scilicet, aquam, oleum & tincturam. Et istam terram siue cinerem proijciunt super corpus fustum, videlicet super cuprum aut aliud, & nihil inueniunt: & tamen faciunt & operantur secundum quòd Philosophi dicunt in libris suis: & sic in errorem ceciderunt, non inuenientes introitum. Et tamen error illorum est: quia certum est, quòd non generatur ex homine nisi homo, nec ex equo nisi equus: similiter nec ex alijs animalibus, nisi sibi similia. Cùm igitur ista sint à natura metallorum penitus aliena, impossibile est ex ipsis fieri generationem ex metallis: quia metalla non generantur, nisi ex spermate proprio: Argentum autem viuum est sperma metallorum & origo eorum, prout dicunt omnes Philosophi, & etiam vsus & ratio docet, prout inferiùs declarabo. Ista autem prædicta, videlicet sanguis, capilli, oua, & cætera vegetabilia, non sunt argentum viuum: ergo ex ipsis est impossibilis generatio, seu transmutatio metallorum, non sunt igitur prædicta lapis noster, licet sint exempla.

Sunt alij qui accipiunt quatuor spiritus, scilicet, arsenicum, sulphur, argentum viuum & sal armoniacum, & dicuntur Spiritus: quia ab igne fugiunt, & euolant in fumum. Et ista accipiunt loco quatuor elementorum: videntes quòd Philosophi dicunt in libris suis: scientiam esse in spiritibus, & istos subiacentes, vt sint naturæ aëreæ, vel naturæ aëreæ efficiantur. Fixant postmodum calcinando, vt sint naturæ terreæ: soluunt, vt sint naturæ terreæ, aquæ, destillant, vt sint naturæ igneæ.

Et